

siasten, cap. VII. *Calumnia conturbat sapientem et perdit robur cordis illius.* Quocirca Mecænas apud Dion. l. LII. suasit Augusto, ut suis delatoribus non omnia statim crederet: *Quod si enim tardius, inquit, fidem adhibueris, nullo tuo magno id fiet damno, festinando autem fieri potest ut peccatum aliquod irreparabile admittas.* Hinc prudentes viri delatores reprimere consueverunt, uti Vespasianus imperator qui dicebat: *Princeps qui delatores non castigat, irritat:* Antoninus Pius imperator si non probarent crimen, capitali eos supplicio affecit; si probarent, præmio dato dimisit infames: Fridericus Saxonie ea lege illos admittebat, si quæ de absentibus narrent, etiam illis præsentibus dicere in faciem auderent, Peucer. inlect. chron. an. 1372. antiquitus etiam lege Remnia calumniatori littera C. in fronte inurebatur, ut calumniator et nosceretur et vitaretur, Capitol. in Macrino; Cicero pro Roscio.

Denique, offendit seipsum et gravissime quidem. Non enim se solummodo gravi obstringit peccato, verum etiam pænæ talionis et divinæ punishmentis, quæ a tergo calumniatores sequitur. Contingit enim fere illis, quod infelici cuidam jaculatori, qui Brasidam duce[m] telo confixerat: educto namque e corpore telo, Brasidas illum ipsum jaculatorem confodit, Plut. teste. Intorquent calumniatores telum linguæ suæ in proximis: sed non raro evenit, ut eodem telo ipsi configantur. Danielem quidam æmuli intruserunt suis calumniis in leonum lacum; sed deprehensa ejus innocentia et incolunitate in ipso lacu, post eum ipsi in lacum intrusi et in momento devorati sunt, Dan. XIV. Improbi illi senes suis calumniis Susannam pene jam in mortis supplicium impulerant: sed deprehensi a Daniele, eodem ipsi supplicio perierunt, quo Susannam perdere cogitarant, Dan. XIII. Aman eodem suo patibulo suspensus est, quo Mardochæum calumniis circumventum suspendere paraverat, Esth. VII. Accedit ultio divina. Annam quamdam viduam, quæ monasterio se incluserat, calumniata est ancilla, dolo Constantini Copronymi subornata, quasi cum Stephano monacho, viro innocente et sancto turpiter consuesset; unde Annam imperator virgis cædi jussit. Verum ancilla cum nupsisset et gemellos peperisset, ii repente sub mediam noctem conturbati, arreptas matris mammillas, horrendum in modum exederunt, eamque protinus necarunt, atque una cum ipsa viperini illi partus extincti sunt, Baron. an. 763. S. Othmarum calumniatus fuit quidam de ejus fratribus, nomine Lambertus, quasi impudicitia se polluisset. Ve-

rum divina ultio mox eum corripuit, tam fœda membrorum contractione, ut capite in terram inclinato quadrupedis more incedere cogeretur, Bar. an. 759.

IV. Susurro, qui occultis obtrectationibus in odium vocat quos vult, amicitias dissolvit et odia incendit. Pejor hic detractore (de quo multa) tametsi ei affinis est: quia detractor famam hic amicum et amicitiam (de quibus Eccl. IX. dicitur: *Amico fideli nulla est comparatio*) auferit illi uni, hic simul pluribus nocet, inter quos discordias seminat. Qualis ergo hic tibicen? Qualis utique tibicen ille, qui in prælio captus et neci addictus cum causaretur neminem hostium a se occisum, ideoque sibi parcendum, audiit a iudicibus: *At eos qui plurimos occiderunt, incendisti classico, proinde occidendus es.* Talis profecto hic tibicen, qui etsi nemini litem intendit, lites tamen serit et in mutuas cædes ac vulnera alios incendit. Simile est Saulo, qui lapidantium vestes servabat, quo expeditus illi lapides in Stephanum emittere possent: similes incendiariis avibus, quæ carbones e foco rapiunt, et in subjectas ædes elabi sinunt, itaque domos incendunt: similes illis carnificibus, qui fornacem Babylonicam gratissimo ignis pabulo, naphtha, stuppa, pice et malleolis incendebant, ad innocentes exurendos pueros, Dan. III. Testatur enim Salomon, Pr. XXVI. *Cum defecerint ligna, extinguetur ignis et susurrone sublato, jurgia conquiescunt,* quasi dicat e contrario: Si adfuerit susurro, ligna foco addet et incendium excitabit. Tales quidem prope se habuit David, tametsi non audivit, cum deprehendit in spelunca Saul hostem suum: *Eccc dies, inquit, de qua locutus est Dominus: Ego tradam tibi inimicum tuum, ut facias ei sicut placuerit in oculis tuis,* I. Reg. XXIV. At vero David masculum assumens animum: *Confregit viros illos sermonibus.* Quod imitari deberent omnes; quia nisi esset auditor, non esset susurro: nisi esset receptor non esset fur. Habuit tales apud se et Saul, sed audivit eos, quod objicit ipsi David eo ipso loco et tempore: *Quare audis verba hominum loquentium: David quærit malum adversum te?* susurronum scilicet, ibid. Causam igitur odii inter ipsum et Saule[m], conjicit in susurrones. Fœdum hujus vitii exemplum præbuit Theodorus monachus postea episcopus, cognomento Santabareus, homo vafri ingenii ac perditus, qui cum sciret se odio haberi a Leone Basilii imp. filio, simulata benevolentia ei persuasit, ut egressurus ad venationem, pugionem occultum ferret, quo vel feras vel forte parentes aut suos insidiatores confoderet. Obtemperavit adolescens, dolo non animadverso, Santabareus

CONCIO IV.

QUI CHRISTUM COMPRIMANT, IMPEDIANT, DERIDEANT.

I. Compriment Christum: 1. Qui in templo sine reverentia versantur. 2. Qui sibi usurpant, quæ sunt juris divini. 3. Qui indigne communicant. — II. Impediunt Christum: 1. Qui de Deo diffidunt. 2. Qui male agentes confirmant in malo vel retrahunt a proposito bono. 3. Qui ægrotantes periculose retrahunt a pœnitentia. — III. Christum derident: 1. Qui Dei verbum in jocum tradunt. 2. Qui Christi et Ecclesie præcepta eludunt. 3. Qui derident aut spernunt Dei minas.

THEMA.

Recedite. Matth. IX.

Non arbitror, me reperisse in aliquo evangelio tot perditos homunciones, quot in hodierno. Nam imprimis cum Christus Dominus pergeret ad domum archisynagogi, sequebatur eum turba multa: *Et comprimebant eum,* ut ait S. Marcus, c. V. Et hinc hæmorrhœissa vehementer adlaborabat ut vel fimbriam vestis Dominicæ tangeret, quando præ turba accedere non poterat, ut Christum ipsum tangeret. Deinde, ingressus domum Jairi, Dominus invenit aliam turbam sibi molestam et obstantem in miraculo perpetrando tibicines videlicet quos et mox ejecit. Denique, pejores adhuc reperit, a quibus deridebatur, cum diceret puellam non esse mortuam sed dormire, quasi nesciret, quid actum esset cum puella. Nonne igitur perversi homines videntur fuisse isti? Primi Christum comprimunt; secundi a bono proposito impedire conantur; tertii derident. Sed quod est deterius, videntur isti improbi semen reliquisse suum inter Christianos, semen, inquam, nequam Chanaan, filiorum sceleratorum et Christi irrisorum. Quod utinam ne inter nos reperiretur! Ut igitur hos caveamus, audiamus, qui sint tales.

I. Compriment Christum, qui in templo sine reverentia, decore et animi attentione ad divina versantur. Tales enim premunt Christum, dum ei corpore appropinquant, animo interim ab eo longius distant, et sæpe in foro et cauponis versantur. Sic enim quæritur Isa. XXIX. dicens: *Appropinquat populus iste ore suo, et labiis suis glorificat me, cor autem ejus longe est a me.* Nos certe mortales corpora mortua in ædibus nostris ægre sustinemus, et iisdem premi nos putamus, si vel ad alterum diem retinere ea cogimur; quia nimirum tetrum ac deforme est corpus sine anima indeque viventibus onerosum. Annon igitur et Christum premimus in domo sua, cum corpora tantum nostra in ea constituimus, animis domi relictis vel foris divagantibus? Hoc enim Christo pe-

autem Basilio denuntiavit, Leonem filium ei insidias struere et ad eum interimendum pugionem in senatu ferre. Quem cum Basilius invenisset, ardens iracundia nullamque filii admittens defensionem, ei oculos eruisset, instigante Santabareno, nisi assiduis senatus precibus sententiam mutasset, Zonaras et Curopalatas, apud Baron. anno 870. Antipater Herodis filius, ut patri in regnum succederet, seniores fratres suos exosos patri suis susurris fecit, ut eos pater occideret. Verum justas numini pœnas dedit, cum ipse fraude detecta, ab Herode patre jam animam agente pariter occisus est, ut scribit Josephus, lib. XVI. antiq. c. ult. et l. XVII. c. IX.

V. Exprobrator, qui quam prius cecinit bonam cantilenam, postea corrumpit absona et absurda, atque ita: *Beneficium convertit in injuriam,* ut inquit Seneca, l. II. de benef. c. XIV. quod enim manu dextra benevole dedit, hoc sinistra maligne repetit: quod una manu ædificat, altera idem destruit. Qua de re Eccl. XXXIV. dicitur: *Unus ædificans et unus destruens, quid eis prodest nisi labor?* Quidquid hic tibicen præclare struxit, repente subruit exprobrando, verbi gratia: *Mihi est quod agas gratias: meo beneficio hoc habes: absque me foret, in hunc gradum non ascendisses: de mea mensa cutem curasti, etc.* Inamœnæ et odiosæ sunt hæ cantilenæ: tineæ beneficiorum et æruginis liberalitatis sunt. Recte etiam aliqui comparant exprobrationem scribæ, qui supplicem libellum accurata manu scribit: ad finem pro arenaria pyxide, dum aliud cogitat, atramentarium corripit et in chartam illam effundit. Id enim lingua facit, dum atro improperationis liquore obliterat beneficia alteri collata. Scriba qui characteres illos sciens volens perderet, stultus haberetur: insipiens ergo sit necesse, qui beneficium alteri exprobrat, quia hoc sciens agit. Unde Eccles. XVIII. dicitur: *Stultus acriter improperabit,* Jac. I. at: *Insipiens exigua dabit et multa improperabit,* inquit Ecclesiasticus, c. XX.

Hi potissimum sunt funesti illi tibicines, qui bonis auribus obstrepunt: proinde cum hodiernis illis ab ædibus Christianorum longius propellendi: *Recedite* igitur et abite in malam rem pessimi tibicines: *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat,* ait apostolus ad Eph. IV. *sed si quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus.*

rinde est, ac si copia stipitum et truncorum in dorsum ejus incumberet. Hinc vendentes et ementes flagello ejecit e templo, et mensas nummulariorum evertit: quia nimirum hæc negotiationes ad templum non pertinebant, et orantes a devotione avocabant, adeoque ipsum Christum impediebant et premebant. Atqui nihil minus agunt, qui corpore in templo existentes, animo in suis negotiationibus et terrenis desideriis foris evagantur. Oves enim in templum afferunt, qui in eodem clamores excitant, alius fabulantur: boves vero qui nullam corporis reverentiam, manum erectione, genuum flexione vel pectoris tusione, sensuumque collectione ibi præ se ferunt, sed veluti boves ad quietem aut etiam somnum capessendum procumbunt: mensas et nummos qui ibidem de patinis loquuntur et lucris: columbas, qui oculis circumvolant, etc. Hæc sunt, quæ Deum a templo sæpe expellunt, ut non videatur audire preces nostras, nec ibi præsens esse: quemadmodum ipse testatus est ad Ezech. c. VIII. dicens: *Fili hominis putasne, vides tu, quid isti faciunt, abominationes magnas, quas domus Israel facit hic, ut procul recedam a sanctuario meo?* Cumque ostendisset ei per foramen, quid mali agerent homines in templo, quomodo verterent dorsa contra altare, plangerent Adonidem, applicarent flores ad nares suas, subdit: *Ergo et ego fluctam in furore meo: non parcat oculus meus, nec miserebor et cum clamaverint ad aures meas voce magna, non exaudiam eos.* Propterea igitur toties salutatur in missa populus a sacerdote, voce illa: *Domine manus vobiscum*, ut admoneatur, Deo semper adesse et animo et corpore, eumque suis bonis cogitationibus cum hæmorrhœissa tangere, non propellere eum turba.

Secundo, premere mihi videntur Christum qui, quæ juris ipsius sunt, infestant, sibi que usurpant: quo modo aliquis premere vicinum dicitur, qui in fundum ipsius, domum, atrium vel agrum suum extendit, vel aretis nimis limitibus eum constringit, vel etiam clamoribus et aliis modis ipsi importunus est in rebus suis. Hoc sane modo sæpe infestatur domus Christi a transeuntibus, qui non modo nulla facta reverentia, sed præterea cum clamoribus, garritu, sordidis actionibus eam coinquinant. De hoc queritur Dominus contra reges, qui palatium sibi extruxerant templo contiguum; unde factum erat, ut strepitus et tumultus aulæ in ipsum templum derivaretur; Ezech. XLIII. dicens: *Fabricati sunt limen suum juxta limen meum, et postes suos juxta postes meos, et murus erat inter me et eos. Et polluerunt nomen sanctum meum in abominationibus, quas fecerunt; propter quod consumpsi eos in ira mea.* Si enim

jure indignaretur princeps, quod ejus cives palatium suum infestarent aut conspurerent: cur non magis Deus? Sane Salomon in ædificatione templi, strepitum in eo audiri noluit, ideoque lapides alibi poliri et aptari jussit, III. Reg. VI. tametsi is alioqui ad structuram templi pertinebat. Porro uti templum, ita et dies festi, juris divini, et proinde qui illos violat, ac per operas serviles sibi arrogat, absque dubio Christum premit, quia limites ejus sacros transgreditur, nimium extendendo laborem ultra terminum et præterea dies illos honore suo privat et obsequiis debitis: quemadmodum et illi, qui non expectato fine sacrificii, in festis ad nugas suas excurrunt, nundinationes suas incipiunt, vel etiam sub missa exercent, etc. Hinc apud Isa. c. I. ejusmodi homines sibi onerosos ait: *Solemnitates vestras odit anima mea, factæ sunt mihi molestæ: laboravi sustinens.* Quomodo enim non fiant molesta Deo nostra festa, si in hac domo doletur, in alia cadatur, in alia sarciat, in alia taxatur, in alia saltetur aut ludatur? Hocce non est Christum in suis terminis constringere? Ut taceam, quod hoc ipsum Ecclesiæ prælatos (qui per Christi vestes representantur, teste Aug. serm. VI. de verb. Dom.) vehementer premit et affligat. Dies festivi in nobis ad hoc dati et Deo dicati sunt, ut in illis Christum honorifice tangamus, sive per sacramentorum susceptionem, sive per vitæ imitationem, sive per sacras preces et contritionem: ex quo tactu sanitatem mentis et alia beneficia consequi possemus. At vero: *Tangit Christum*, ait S. Aug. ibid. *fides paucorum: premit eum turba multorum; sæcularibus nimirum et vetitis occupationibus.*

Tertio, qui indigne communicant. Illi enim Christum in domum hostilem inducunt, et undique hostibus premunt, videlicet peccatis, quæ per penitentiam prius non eiecerunt. Atque hæc est turba illa Christum premens: turba item tumultuans e domo Jairi ejecta. Scimus, quantum angustius fuerit Christus ex præsentia Judæ, scelus proditoris jam in corde gerentis, dum cum ipso in mensa sedit et cenavit; nam: *Turbatus est spiritu*, ait Joan. cap. XIII. *et protestatus est, et dixit: Amen, amen, dico vobis, quia unus ex vobis tradet me:* secundum Lucam, cap. XII. *Ecc manus tradentis me mecum est in mensa.* Neque mirum hoc: quis enim non premi se et angere diceret, qui in mensam hostium capitalium collocaretur? Nonne rex Assuerus, quando comedens cum Aman audivit a regina: *Hostis et inimicus noster pessimus iste est Aman*, illico surrexit de loco convivii et abiit iratus? Esth. VII. Id ipsum vero facere Christum, quando ad convivium peccatoris adducitur in communione, nemini dubium

esse debet, quia capitaliores non habet hostes quam peccata. Contra vero si cum hæmorrhœissa debito modo tangeremus vestem humanitatis Christi in eucharistiæ susceptione, si cum simili humilitate, fervore, pudore, reverentia, fide, peccatorum confessione accederemus, quo modo accessit ipsa, o quam recipere animæ sanitatem et confortationem! Ipsa enim primo irrupit per turbam, seu: *Venit in turba* ut ait Marcus, c. V. ecce fervorem: secundo: *Accessit retro*, videlicet ob morbi sui fœditatem: ecce verecundiam: tertio: *Dicebat si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero;* ecce fidem: quarto, conspecta a Christo: *Timens ac tremens venit ad eum;* ecce timorem: quinto; *Procedit ante pedes ejus;* ecce reverentiam: sexto, confessa est morbum et sanationem suam coram omni populo, et: *Dixit Christo omnem veritatem*, ut habent evangelistæ: ecce confessionis sinceritatem. Nihil amplius requiri a nobis posset, si hæc eadem ageremus, cum ad s. communionem accedimus; discamus igitur hoc a muliere, et quidem, ut communiter sentiunt cum Eusebio, a gentili.

II. Impediunt Christum in puellæ mortuæ resurrectione, veluti turba tumultuans et tibicines. Primo, qui de Dei bonitate vel potentia diffidunt, uti faciunt, qui partim malis artibus partem ibi conquirunt, partim laborant vetitis diebus: hi, inquam, sua diffidentia impediunt Christum, ne opem illis ferat, et solita beneficia largiatur. Quemadmodum enim propter incredulitatem Nazarenorum non potuit apud illos virtutem ullam facere, nec nisi paucos infirmos sanavit, ut est apud Marcum, cap. XVI. ita propter multorum pauperum diffidentiam, qua metuunt, si tot festis diebus a labore vacent dolis et fraudibus absterneant, ne familiam sustentare nequeant, non potest illis ostendere suam miram providentiam bonitatem et potentiam. Dicunt illi: Quomodo alias me meosque sustentabo, sed hæc sunt tibie diaboliæ et inanes flatus, Christum impediendes. Potens est enim Deus innumeris et miris modis opem nobis ferre, res nostras conservare et augere, licet miraculum non edat: si nimirum conservet nos in bona valetudine, si domum ab incendio et ruina, si pecora et fruges, si a potentiorum oppressionibus, rapinis nostra servet, et benedicat rebus nostris, etc. Et hæc absque dubio præstaret, nobisque adjiceret juxta promissionem suam, si primum quæreremus regnum cœlorum et justitiam ejus; denique, si necessitas exigeret, sæpe miraculose nobis succurreret, quod aliis sæpissime fecit: non enim patitur se vinei obsequiis Deus noster. Sed qui plus in nostris laboribus, artibus, fraudibus

et mendaciis sæpenumero confidimus, hinc mirum non est, si nos multoties deserat, et difficultatibus obrui sinat, et desit panis, non sit pecunia, mendicent liberi, etc. Videtur enim dicere illis Dominus: Quia in vestro labore, dolis et versutia plus confiditis quam in me meaque promissione: *Surgant igitur dii vestri* doli et labores, *et opulentur vobis*, mihi enim ligatis manus, ne possim vobis opem ferre et necessaria porrigere quia mihi non confiditis. Atque ita tandem accidit illis, quod Judæis temporalia potius quam spiritualia curantibus, regnum terrenum quam cœleste quærentibus: *Temporalia perdere timuerunt*, ait S. Aug. tract. XLIX. in Joan. *et vitam æternam non cogitaverunt, ac sic utrumque amiserunt.* Ita vereor ne quam plurimi sint hic et ibi miseri.

Secundo, qui male agentes confirmant in opere, vel meditates emendationem retrahunt a bono proposito, adeoque in morte spirituali detinent, ne resurgant. Et hi tibicines sunt diaboli et turba tumultuans, Christum impediens a suscitatione peccatorum. Nihil enim docent, defendunt aut suadent præter honores, voluptates, opes quærendas et retinendas: hoc inani flatu et Sirenium cantu demulcent miseros, et pertrahunt ad gehennam: sicut venatores fistula pastoralis demulcent et sistunt cervum, donec in potestatem suam redigant, Pier. I. VII. hierogl. Ejusmodi adulatores, Pipinus rex, Caroli M. pater, religiosos diaboli appellabat; siquidem carerent: *Placebo Domino.* Tangitur forte alicujus conscientia in concione vel exemplo punitionis divinæ, vel interna inspiratione; et cogitat de animæ suæ suscitatione, cogitat restituere aliena, deserere hæresin, pellicem, ebrietatem, sicque intrat ad ipsum Christum, vitam animæ daturus; sed frequenter invenit tibicines illos, qui a proposito eum revocant, peccata ejus approbant ac defendunt.

Hanc ob causam, auditores, mihi velim ignoscatis, si vobis non ablandior, sed in vitia invehor: quia nolo esse tibicen diaboli, ad animas vestras in peccatis retinendas.

Tertio, qui ægrotantes periculose, vanis suis blanditiis, et promissionibus retrahunt a confessione, restitutione, elemosynis, etc. Multi enim reperuntur propinqui, qui talibus blandiuntur de sanitate indubie recuperanda, usque dum repente mors eos abripiat! *Pulsat Christus, cum per ægrotantis molestias mortem vicinam esse designat*, ait S. Gregor. hom. XIII. in evang. intrat vero cum inspirat penitentiam propositum. Quod si igitur mali quidam tibicines huic obstrepunt proposito, protinus ejiciendi sunt; quia de illis dixisse Dominus censendus est absque dubio:

Inimici hominis domestici ejus. Ut enim porco jam mactando, fricatione blanditur herus, interim subito ictu prosternit eum lanio: sic dum hi propinqui bene sperare ægrum jubent, nihilque metuere de periculo; interim mors securi sua miserum sæpe obtruncat.

III. Denique, Christum derident. Primo, qui verba et doctrinam ejus, necnon servorum ejus sinistre interpretantur, et ad jocum trahunt. Hoc enim faciebant etiam Judæi in hodierno evangelio, dum verba illa Christi: *Non est mortua puella sed dormit* pro falsis habebant et ridebant, cum tamen verissimo et sanissimo sensu a Christo dicta essent, ab ipsis vero perperam intellecta. Dormiebat Christo puella, qui sciebat a se facile et mox excitandam: hoc illi nescierunt; ridendi igitur potius ipsi, uti postea intelligere potuerunt, cum puellam resuscitatam viderunt. Ad exemplum igitur istorum ridentur etiam a catholicis quandoque verbum et servi Dei; quia nimirum loquuntur ea, quæ non placent ipsis, ideoque nec creduntur vel non intelliguntur. Disserebat aliquando Dominus coram Phariseis de fructu eleemosynæ et periculo mammonæ iniquitatis, Luc. XVI. *Audiebant autem omnia hæc Pharisei, ait evangelista, qui erant avari et deridebant illum, quia nimirum vel avaritia impedit, fidem dicenti non habebant: (Carnalis enim homo, non percipit ea, quæ spiritus sunt, I. Cor. II. et Prov. XVIII. Non recipit stultus verba prudentiæ, nisi dixeris, quæ versantur in corde ejus) vel dicentem non intelligebant, existimantes Christum damnare divitias, cum tantum damnarit avaritiam et cupiditatem. Ostendunt ergo derisores isti partim ulcera et vitia sua, partim ignorantiam, partim etiam nequitiam, qua pervertunt alios, ne fidem verbo Dei adhibent. Refert Sozom. I. V. hist. eccl. c. VII. Apollinarium Syrum conscripsisse aliquando doctissimum librum contra Julianum apostatam, et philosophos quibus addictus erat, in quo efficacissimis rationibus ab ipsa natura desumptis unum tantum Deum esse ostendit. Quem cum legisset Julianus, in risum et fabulam vertit, ex exinde ad quosdam catholicos episcopos hæc verba scripsit: *Legi, intellexi, improbavi.* Quid ad hæc responderunt: *Legisti, sed non intellexisti: nam si bene intellexisses, non improbasses.* Hoc idem sibi dictum intelligant derisores concionatorum.*

Nihilo meliores sunt, qui servos Dei rident, eorumque simplicitatem: quomodo ridebantur Job et Tobias a suis tamquam scrupulosi: *Qui enim vos spernit, me spernit, ait Dominus.*

Secundo, qui Christi et Ecclesiæ ejus præcepta eludere conantur, contemnunt et perperam in

sensum suum trahunt. Præcipit Christus, ut remittamus injurias ex cordibus nostris, idque facere se asserunt multi; faciunt tamen ore tantum; nam in corde retinent odium, nec cessant reipsa persequi inimicos suos. Præceptum Domini est, confessio omnium peccatorum lethalius: aliqui graviora tegunt, sicque confessionem et absolutionem irritam faciunt. Et istos non putamus deridere Christum, cui omnia scienti et corda hominum aspicienti occultare suos dolos volunt? Falleris, o miser, si existimas nescire Christum, quod anima tua mortua sit. Rursum præcipit Ecclesia, ut festivis diebus missa integra audiatur: a servilibus operibus abstinenceatur: diebus abstinentiæ et jejunii carnes non edantur: et quam frivole hæc observantur? Quam parvi æstimantur? Sane in his Ecclesiæ præceptis liberrime et ut Sapiens ait, Prov. X. *Quasi per risum peccant homines, quasi Ecclesiam Dei contemnant, et matrem suam irrideant.* Ad missam tarde venit, et ante finem recedit, sine pudore et timore, ac sine necessitate; et quam frivolas ob causas tota sæpe negligitur? Videtur Deo dicere: *Jam non est propheta, et nos non cognoscet amplius.*

In festorum observantia, quanta, quæso, levitas et perversitas? Quid nostræ feriæ, solemnitates, dedicationes, post peractam missam, nisi bacchanalia? Ibi choreæ, compotationes, aleæ, mercaturæ, imo et serviles operationes, præsertim sutorum et sartorum: finis tandem, ob quem feriæ institutæ sunt, a paucissimis observatur. Proh! Quam longe abscedimus a Dei instituto, qui hos dies sanctos esse voluit, sanctisque impendi operibus! Quam longe etiam recedimus ab avita antiquorum Christianorum religione! Audiamus, quæso, exemplum Olai Norwegiæ, regis, quam sanctos esse voluerit dies feriales, et quam severe neglectos in seipso vindicavit. Nam forte festo die cortice bacillum nudabat. Monitus de sacro dietali sectione non violando, statuit a male otiosa manu pœnas continuo expetere: itaque assulas in ipsa manu incendi voluit, et peccantem ignibus expiari, ex vita aquilonarium.

In jejuniis nostris quam multi secum ipsi dispensant sine causa? Imo multi fingunt, carnem non esse, quæ caro est, veluti pecorum intestina, quæ sine metu devorantur. In sabbatis item carnibus vescuntur, quasi in eo minus aut nullum peccatum sit. Lepidi sane homines, qui sibi tam benevoli judices sunt.

Et quomodo hæc agentes observamus matrem Ecclesiam? Imo quomodo ejus præcepta non flagellamus et cachinnamur?

Qui derident et contemnunt S. Scripturæ aut etiam concionatorum et servorum Dei sibi intentatas minas, quasi figmenta et fabulas. Fece- runt id olim Constantinopolitani quibus Daniel Stylita prædicebat ex revelatione imminentem Dei iram et virgam, monens proinde ut supplicationes hebdomadatim instituerent, sic enim Dei iram futuram mitiorem: sed contemp- tui habita est prædictio et admonitio. Tempore itaque evoluta, quod Daniel prædixerat repente in maxima et regia civitate incipit incendium, quod usque adeo exarsit, adeoque invaluit, ut fere universam pervaserit civitatem. Vix tandem in tanto malo eis venit in mentem S. Danielis prædictio, Metaphr. apud Surium, in vita Dan. Styl. 11. decemb. Sic olim cum Loth annuntiaret generis suis futurum Sodomæ incendium, visus est eis quasi ludens loqui, Gen. XIX. sed exitus brevi rei veritatem ostendit. Idem faciebant homines ante diluvium: nam, ut Berosus Chal- dæus, l. I. ait: « Tum multi prædicabant et vaticinabantur, et lapidibus excidebant de ea, quæ ventura erat, orbis perditione; sed enim illi assueti corridebant omnia, celestium illos ira atque ultione perurgente, pro impietate et sceleribus. » Itaque: *Nolite errare, ait apostolus ad Gal. VI. Deus non irridetur: quæ enim seminaverit homo, hæc et metet.* Quod ergo seminamus derisionem et contemptum Christi, Ecclesiæ et servorum ejus: derisionem etiam et contemptum absque dubio metemus; juxta id Prov. I. *Ego quoque in interitu vestro ridebo et subsannabo, cum vobis id quod timebatis, advenierit.*

Et quid tandem his omnibus aliquando dicit Dominus? Id nimirum quod tibicinibus hodiernis: *Recedite, ejicietque eos e conspectu suo et justorum congregatione: in mortis articulo imprimis, cum inviti et anxii hinc abripiantur; deinde, in judicio. Sane efficax fuit vel unica vox recedite, ad ejiciendam turbam: quanto efficacior et horribilior erit illa parturiens: *Ita maledicti in ignem æternum.**

CONCIO V.

BONA ÆGRITUDINIS

I. Est purgatio medica. — II. Est suave purgatorium. — III. Est frænnum peccatorum. — IV. Est stimulus ad meliorem vitam. — V. Est collyrium intellectus. — VI. Est suave carnis ergastulum. — VII. Est nuntius mortis.

THEMA.

Ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis. Matth. IX.

Tobiæ VI. legimus, Tobia juniore ad ripam

fluminis Tigris accedente, piscem immanem exisse ad devorandum eum. Quem expavescens Tobias clamavit voce magna ad Raphaelem comitem itineris: *Domine invadit me.* Sed jussit angelus ut apprehenderet branchiam ejus et traheret eum ad se; fore enim sibi valde salutarem. Quo facto, non modo non nocuit piscis Tobiae, sed vehementer etiam profuit, præbens ei alimentum et medicinam. Non multum aberavero, si corporis infirmitatem pisci huic comparavero. Ea enim prima fronte sæva quidem apparet et hostilis, quasi hominem devoratura, unde ab ædibus excluditur et cum fieri potest, medicorum opera ejicitur. Sed revera hostilis non est, imo admodum salutaris, dummodo fortiter et prudenter eam amplectaris et patienter feras. Si noxia esset ægritudo corporis, non dixisset Dominus Paulo conquerenti de ejusmodi ægritudine: (ut volunt multi ss. pp.) *Sufficit tibi gratia mea, sed infirmitatem abstulisset.* Similiter et alios amicos suos singulares infirmitatibus non afflixisset. Afflixit autem plurimos: Timotheum, Gregorium Magnum, Theodorum, Bernardum, Franciscum, Claram, Catharinam Sennensem, etc. Potuisset curare Timotheum Paulus, sed noluit, suasit tantum medico vini uti: potuisset S. Petrus filiam Petronillam, non curavit: nimirum salutaris est, ideoque obviis ulnis amplectenda ægritudo corporis: quod modo ostendemus.

I. Ægritudo est salutaris potio seu purgatio; ejicit enim pravos motus, dispositiones et inclinationes ad vitia; quia sicut per intemperantiam cibi et potus augentur humores mali, qui velut intumescens fluctus implent et denique mergunt navem corporis; ita enim per multos peccandi actus gignuntur in homine pessimæ inclinationes amorque inordinatus ad vitia; unde jactatus tandem velut nauta animus et terrenis desideriis gravatus perit. Ejiciuntur autem humores illi per ægritudinis pharmacum; compescuntur hi fluctus cum navis corporis ægritudinis molestiis aggravatur. Quando pallium aut vestis tua nimio usu pulveres imbibit et sordes contraxit bacillum arripis eamque diligenter excutis, non sane ut vestem destruas, sed ut nitidiorem reddas. Similiter et nos quia variis sæculi negotiis distrahimur et multoties in sordidis locis considemus, nec sine multis reatum pulveribus surgimus, arripit Deus bacillum ægritudinis et excutit e veste corporis nostri sordes, animam fœdantes. De hac virga loquitur Deus Zachariæ II. dicens: *Assumpsi mihi duas virgas, unam vocavi Decorem, et alteram vocavi Funiculum.* Virga decor, ægritudo est; quia